

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiarvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

73. An, & qualiter patronatus competens uxori, & hinc potestas  
præsentandi transeat in maritum seu ab eo participetur.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](#)

contrarium sibi videri ait Castrop. eò quod tutor propriè detur ad regendam personam pupilli, adeoque & ratione hujus personalis regiminis præsentare poterit. Idem tenet Pirk. n. 18. & Garc. n. 194. dum ait, tutorem posse absolute præsentare, valerè que ejus præsentationem; addunt tamen, nisi pupillus rationis discretione prædictus contradicat, vel ante institutionem alium præsenteret; in quo casu præferendam præsentationem factam à pupillo, eò quod ipse sit Dominus istius juris patr. etiam si præsentasset minus dignum præ alio, quem præsentavit tutor, tenent Pirk. loc. cit. Roch. Rebuff. Pavin. alii que citati supra à Garc. n. 196. vel saltē aequè dignum, ut alii apud Garc. n. 187.

2. De curatore tamen censem Castrop. loc. cit. & Garc. n. 196. eum præsentare non posse, eò quod is, cùm principaliter datus sit pro administratione bonorum minoris, & non personæ, patronatum competentem minori & ejus bonis non annexum administrare non possit, neque ad beneficia virtute illius præsentare.

*Questio 72. Quid hac in parte dicendum de impubere, minore, filio familiæ?*

1. Respondeo primò: & hos capaces esse jurispatronatus, posseque per se ipsos præsentare, dum septennio maiores sunt. Sequitur à potiore ex responsi. ad quest. præc.

2. Respondeo secundò: et si aquum sit ut tales impuberis non præsentent absque tutorum autoritate, eò quod hi dentur ad actiones personarum impuberum regendos, si tamen impubes septennio major præsentavit sine tutoris autoritate, valet præsentatio ab illo facta jure proprio & singulari. Pirk. n. 18. iuxta dicta quest. præc. de pupillo.

3. Respondeo tertio: potest quoque pater præsentare ad beneficia jurispatr. competentis filio, quandiu hic impubes & sub ejus potestate est; quia toto eo tempore persona filii administratio nem habet Castrop. loc. cit. n. 22.

4. Respondeo quartò: ita ad puberem eti minorem 25. annis spectat præsentatio, ut neque tutor, neque pater illius, vi jurispatr. competentis filio valide præsentare possit. Castrop. loc. cit. n. 22. Garc. n. 195. & 299. contra Baëzam & Guttrier. quorum sententiam falsam esse, & non nisi in curatore furioso procedere, afferit Garc. Siquidem in talibus ut publici juris, neque curatoris potestas, neque minoritas attenditur. Garc. n. 196. ex Anchar. cons. 355. & Butrio cons. 30. celstaque post pubertatem filii administratio, & solum in ejus bonis conceditur: quod ad spiritualia autem & dependencia ab iisdem pertinentibus ad filium patria potestas se non extendet, & pater nullo modo se intromittit, & nihil juris habet, & administratio residet penes filium. Garc. n. 197. ex Navar. Castrop. loc. cit. Sed neque pater præsentare potest pro filio tanquam pater & conjuncta persona, etiam cum cautione de rato; tum quia ad præsentandum requiritur speciale mandatum, ut Lamb. p. 1. l. 2. q. 4. art. 17. n. 4. & DD. in c. fin. de concess. præb. tum quia in causa spirituali, qualis est haec, pater vel alia persona conjuncta non admittitur sine mandato, etiam cum cautione, ut Lamb. loc. cit. Abbas in c. nonnulli. de re script. n. 2. nisi ratificatio fieret intra tempus datum ad præsentandam, ut Roch. Pirk. loc. cit. n. 18. Garc. à n. 201. ita ut non sufficeret, quod intra dictum tempus non fiat præsentatio alia, aut contradicatio patroni, nisi constet intra dictum tempus de scientia illius; & hoc, quan-

do pater præsentavit, qui alià est legitimus administrator filii. Garc. n. 205. Nihilominus si patronatus competat filio ob bona adventitia, quorum pater habet usum fructum, posse præsentare patrem, & non posse præsentare filium, tenet Castrop. loc. cit. n. 22.

*Questio 73. An, & qualiter patronatus competens uxori, & hinc potestas præsentandi transcat in maritum, seu participetur ab eo?*

1. Respondeo primò: supponendo tanquam certum, etiam foeminas esse capaces jurispatronatus. c. ult. de concess. præb. Abb. in c. t. n. 3. & c. 25. b. t. Azor. loc. cit. c. 21. q. 10. cum communī. Acquirit enim sibi hoc jus, si quis adificaverit, &c. Ecclesiast. at verbo, si quis, etiam comprehenditur si qua, & masculinum continet foemininum, gloss. in c. general. de elect. in 6. v. universos, nisi subjecta materia aliud suadeat, sic jus patronatus hereditarium etiam transit in foeminas; item relictum consanguineis. Garc. cit. c. 9. n. 145. & 144. ita etiam succedit foemina in jurepatronatus per modum majoratus instituto, ita ut ad anum duntaxat deveniat, nempe primogenitū seu proximiorem, nisi foemina expresse sit exclusa. Garc. n. 145. ex Covar. præt. qq. c. 38. n. 13. Mol. l. 1. c. 1. n. 26.

2. Respondeo secundò: Si patronatus uxoris sic personalis, & bonis ejus non annexus, jura illius non communicantur marito; quia sunt propria uxoris, & ad onera matrimonii præstanta non conductunt. Castrop. loc. cit. n. 27. cum communī.

3. Respondeo tertio: neque jura patronatus competentis uxori ob bona propria ac paraphernalia v.g. per majoratum acquisita, aut ab ea tanquam harede vel consanguinea fundatoris habita per successionem, dum ea marito data non sunt in dotem, communicantur marito, ac proinde vi talis patronatus non potest præsentare, subsidium in necessitate ab ecclesia exigere, aut ulla tenus se intromittere; nisi forte uxor ex urbanitate patiatur maritum simul præsentare. Castrop. ibidem. Pirk. num. 17. Laym. Th. mor. l. 4. tr. 2. c. 13. q. 7. n. 18. Garc. n. 185. citans Molin. de primogenit. l. 1. c. 24. n. 32. Gutt. p. 3. de tutel. c. 29. n. 4. contra Lamb. ibidem apud Garciam & quiparantem in eo casu maritum tutori,

4. Quartò: dum patronatus est annexus bonis uxoris ab ea marito datis in dotem, jus patronatus & præsentare durante matrimonio spectat ad solum maritum; quia cùm non solum fructus, sed etiam dominium rerum dotalium, saltē civile & juristicione, transcat, & sit penes maritum, juxta l. Doce derei vend. & l. cùm dotem. c. de jure dotium, citatas à Pirk. & juxta doctrinam glossa communiter recepta in l. in rebus. c. eod. v. naturali, quam sequitur Bartol. n. 3. & Bald. n. 6. apud Castrop. n. 28. (quod idem fuit disputatum vide apud Garc. à n. 147.) non solum fructus, qui commodatatem pretio astimabilem ad onera matrimonii sustinenda præstant, sed & alii omnes ad eum pertinere debent; cùm de jure civili maritus ad solutę censeatur Dominus in ordine ad omnes effectus, præterquam in jure exceptos, inter quos non est juspatronatus: atque ita juspatronatus non per se, sed accessoriè cum donacione sive vero & naturali, sive civili tantum cùmque universitate rerum dotalium ac juriū transit in maritum; Unde jam verum non est, quod tradit Lamb. p. 3. l. 2. q. 6. art. 3. n. 8. incoharenter ad ea, quæ tradiderat p. 2. l. 1. q. 10. art. 2. juspatronatus in mari- tum transire cum universitate in dotem datā; ni-

mirum

# Sectio I. Caput I.

34

mirum posse etiam uxorem praesentare, ac locum esse præventioni inter virum ac uxorem, & uno praesentante, alium non posse illum impedire, etiam in variatione; in dubio tamen prævalere præsentationem uxoris; ita docent Laym. loc. cit. Pirh. cit. n. 17. Zoësius h. tit. n. 36. Garc. n. 177. citans Gutt. ubi ante n. 3. Rebuff. de nominat. q. 17. n. 5. Roch. v. ipse v. q. 28. Tiraq. post leges conub. gl. ult. n. 5. item Molin. de primog. l. 1. c. 24. n. 3. contra Abb. in l. fin. de concess. prob. n. 8. But. Imol. ibidem. Felin. in c. cum olim. de major. & Abba. n. 2. Azor. p. 2. l. 6. c. 21. q. 16. & alios apud Garciam & Baëzam de decima tutorum c. 23. n. 30. contrario nixos fundamento; nimur quod mari-  
tus non sit Dominus dotis, sed uxor, juxta l. in com-  
munibus. c. de jure dotum. Et esto, Dominus sit & ad-  
ministrator bonorum dotalium, & ipsi beantur  
eorum fructus & commoditas, id tamen intelligendu-  
m de instantium commoditatibus, quae ad  
onera matrimonii sustinenda conferre posunt; ad  
hunc enim finem confertur dos; iura autem patrona-  
tus ad id servire nequeunt. Medium viam ingre-  
ditur Castrop. n. 29. ex Covar. pract. q. c. 28. per to-  
rum; dum ait, si bona in dotem dentur astiti-  
mationem, quæ facit emptionem (quando autem hoc  
contingat vide apud Covar. ibidem) marito, non uxori  
competit patronatus & præsentare; quia eorum  
bonorum maritus sit Dominus, neque tenetur solu-  
to matrimonio ea reddere, sed tantum eorum astiti-  
mationem; si autem bona data sic astitiata non sint,  
probabilis maritum illorum non habere dominium,  
neque iura patronatus, sed solum habet isto-  
rum bonorum administrationem pro matrimonii  
oneribus sustinendis, adeoque non patronatum.

**Questio 74.** Num illegitimo & maxime spu-  
rio, aut etiam irregulari competere possit jus  
patronatus, & præsentare.

R. Espondeo affirmativè: Azor. cit. cap. 21. qu. 25.  
Roch. v. competens q. 2. Castrop. n. 24. Pirh. n. 19.  
possunt enim tales fundare, dotare ecclesiam; cui  
libet fundanti ecclesiam absque ulla exceptione  
conceditur patronatus. c. plementis. c. quicunque. c. 6.  
q. 7. item potest castrum, cui annexus patronatus,  
emere vel donatione aut legato accipere. Nec ob-  
stat tales esse incapaces beneficiorum & pensionis ecclæ-  
siasticæ; quia hæc requirunt ordinem, & solum cleri-  
co communicantur; patronatus autem etiam laico  
competit. Neque obstat, inhabiles esse ad officia  
publica; quia juris patronatus exercitium non est  
officium publicum, sed privatum, ut Azor. loc. cit.  
q. 17. neque semper exercendum, sed cum benefi-  
cium vacat Castrop. cit. n. 24.

**Questio 75.** An & qualiter excommunicata  
tus sit capax juris patronatus & præsentan-  
di?

1. R. Espondeo primò: etsi excommunicatus ex-  
communicatione maiore non amittat juspa-  
tronatus ante excommunicationem habitum; ejus  
tamen usu & exercitio privatur, donec fuerit abso-  
lutos. Pirh. n. 21. ex Azor. cit. c. 21. q. 9.

2. R. Espondeo secundo: potest etiam Episcopus  
consentire ut excommunicatus toleratus, & non vi-  
tandus, adificando ecclesiam acquirat juspatrona-  
tus; etsi exercitium illius non habebit ante absolu-  
tionem. Pirh. ibidem. citans Jo. And. in c. nobis h. t. n. 3.

3. R. Espondeo tertio: prælatus excommunicatus  
adificans vel dotans ecclesiam indubitate juspatro-  
natūs acquirit ecclesiæ vel monasterio. Pirh. ibidem.

4. R. Espondeo quartò: patronus excommunicatus, sive laicus, sive Ecclesiasticus, sive vitandus, sive non vitandus, licet præsentare non potest juxta Pirh. ibidem. Barb. juris Eccle. l. 3. c. 12. num. 162. citans Garc. p. 5. c. 4. n. 307. ubi tamen is de hoc nihil; sed quod ei in hoc nullus factus favor per extray, ad evi-  
tanda;

3. cetero autem excommunicato prohibi-  
tum sit omne exercitium & usus juris Ecclesiastici.

5. R. Espondeo quintò: excommunicatus vitandus  
ne quidem valide præsentare potest, ita ut instru-  
tio ab Episcopo facta ad præsentationem talis pa-  
tronii sit irrita, Pirh. citans Covar. in c. alma. Barb.  
verò loc. cit. abstrahens à vitando & non vitando, ad-  
mittit, patronum laicum excommunicatum posse  
præsentare validè, non verò ecclesiasticum, citare  
pro hoc Sayr. de cens. l. 2. c. 6. n. 7. contra Suarez, loco  
paulo post citando n. 31. sic patronum laicum excom-  
municatum publicum, modò denunciatus non sit,  
præsentare validè docet Garc. p. 5. c. 4. n. 317. citans  
Zoësius de jure patratus v. competens. q. 8. num. 22.

Rebuff. tit. de excom. non vitand. Gomes. de expedit. nu-  
60. Zerol. in princ. p. 1. v. beneficia §. 5. Sayr. de cens. l. 2.  
c. 6. n. 8. &c. contra Lamb. p. 1. l. 2. q. 2. art. 2. & 3. n. 9.

Covar. Chock, &c. hoc nixos fundamento, quod  
præsentatus incurrit excommunicationem com-  
municando cum patrono excommunicato, quod  
falsum est, quia non est necessaria talis communica-  
tio in præsentatione; insuper absolvit potest ante in-  
stitutionem, nec communicando cum excom-  
municato incurrit excommunicatione, nisi is sit de-  
nunciatus, vel etiam notorius clerici percussor.  
Gar. n. 318. verum tamen, ut subdit Garc. n. 319. po-  
test Episcopus non admittere præsentationem à ta-  
li laico factam, cum is male faciat præsentando, li-  
cer non sit denunciatus, & si alias intra tempus da-  
tum non præsentaret legitimè, daretur devolutio,  
ut Suar. to. 5. de cens. D. 14. §. 2. n. 8. facta tamen semel  
scienter, sive etiam ignoranter admisit tali præsen-  
tatione, tenetur præsentatum admittere; cum præ-  
sentatio patroni laici excommunicati publici sit  
valida, adeoque ex ea jus aliquod quæsumum  
præsentato; quod verò docet Garc. loc. cit. n. 316. contra  
Suar. l. c. n. 31. invalidam esse præsentationem factam  
à patrono ecclæsiastico excommunicato etiam oc-  
culto, dum is jure singulari & ratione officii priva-  
ti præsentat, non subsistit ex dicendis de collatione,  
qua vide.

6. R. Espondeo sexto: excommunicatus non vi-  
tandus seu toleratus, etsi obligari non possit Epis-  
copum ad acceptandum præsentationem à se fa-  
ctam (cum quantum communicare cum tali excom-  
municato liceat, nemo tamen ad id obligetur;  
acceptatio autem præsentationis sit quædam commu-  
nicatio cum patrono excommunicato) potest tam-  
en Episcopus eam admittere validè, & licet;  
quia non tenetur vitare talem excommunicationem.  
Pirh. ibidem citans Suar. d. 14. de cens. f. 2. n. 30.

7. R. Espondeo septimo: denique excommunicato,  
etiam vitando, non currit tempus ad præsen-  
tandum præscriptum, si is non sit in mora petenda  
absolutionis; quia tunc censetur legitimè impedi-  
tus; secus, si excommunicatus sit in mora legitimè  
præsentandi, quatenus est in mora tollendi hoc im-  
pedimentum per petitionem & obtentionem ab-  
solutionis; tunc enim Episcopus, evoluto tempore  
dato ad præsentandum, liberè potest conferre tale  
beneficium. Pirh. n. 22. citans Zoësius l. 2. n. 58. por-  
tò ait Pirh. cit. n. 21. in fine, præsentationem in jure  
equi-